

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 87. Bonniveti progressus in Mediolanensi Ducatu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

§. LXXXVII.

Sæc. XVI.  
A.C. 1523.

*Bonniveti progressus in Mediolanensi  
Ducatu.*

Interea Bonnivetus sub primis expedi-  
tionis suæ auspiciis magnos in Me-  
diolanensi ditione armorum progressus  
fecit; eoquod Prosper Columna urbes  
munire neglexisset; haud enim sibi per-  
suadere poterat, quod Franciscus Rex  
aliunde tuendis regni sui finibus tanto-  
pere implicitus, bellum in Italia exci-  
tare auderet. Igitur Galli nullo serme  
negotio Novarram, Viglebanum, totam-  
que regionem citra Ticini flumen sine  
ullius prælia discrimine occuparunt.  
Evidem Columna exercitum suum ad  
hujus fluvii oram admoverat, nec ta-  
men Bonnivetum Admiralem transitu  
prohibere poterat, cum cœli fccitas ho-  
sti flumen undique vadofum reddidisset,  
qua propter Columna, quam primum Gal-  
los ad alteram fluminis ripam elucta-  
tos compererat, mox cum suis inde re-  
cessit, cuius exercitum Admiralis, si ne-  
cessaria usus fuisset diligentia, nec tri-  
dui aut omnino quatuor dierum moram  
Papiæ traxisset, facile delere potuisset,  
maxime, cum Mediolanensis urbs resi-  
stendo impar esset, atque ipse Columna  
ex hac Metropoli excedere constituis-

Y 3 set.

**Sæcul. XVI** set, eoquod Gallorum exercitui, plus  
**A. C. 1523.** quam quadraginta armatorum millibus  
 valido nonnisi quindecim suorum millia  
 opponere potuisset. Nihilominus Pro-  
 sper longa bellorum experientia edoctus,  
 non raro ab hoste ea, quæ magis expe-  
 dient, negligi, ideo eas urbis partes,  
 quæ minus firmæ erant, toto studio  
 muniri curabat, tam felici successu, ut  
 Bonivetus longa obsidione frustra tem-  
 pustereret, atque appropinquante hye-  
 me, ipsaque pestilentia exercitum ejus  
 depascente, pedem referre compellere-  
 tur, nullo prorsus expeditionis suæ fru-  
 ctu, nisi quod suppetias tulerit Cremo-  
 nensi arci, cuius præsidium ad octo dun-  
 taxat milites redactum fuit, postquam  
 Bayardus eques urbem vano prorsus  
 conatu expugnare tentaverat.

§. LXXXVIII.

*Bajonna ab Hispanis incassum  
 obseffa.*

*Petr. Angl.  
 ep. 705.*

Sub idem tempus Cæsar in Hispaniis  
 exercitus sui delectum habuit, mox  
 que Germani Pedites superiorem Bur-  
 gundiæ Comitatum intrarunt, Angli ve-  
 ro Caletum expugnarunt, ut inde jun-  
 ctis viribus cum Flandris Picardiam  
 invaderent. Interea Lautrecus, qui  
 post incursam Regis offenditionem ibidem  
 impe-